12 A

PRO-RECTOREM
ACADEMIAE MAGNIFICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES,
PERILLVSTRES LIBEROS BARONES,
PROCERES AC CIVES ACADEMIAE
OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMOS
COLLEGII IVRE CONSVLTORVM
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

IO. HENRICVS ALBINVS D.

FAC. IVRID. ASSESSOR ET CIV. SYNDICVS

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

NOBILISSIMI J. V. CANDIDATI

AD DIEM 10. APR. A. R. S. CIƆ IƆ CC XXXIX.

IN AVDITORIO MAIORI

HABENDAM

EO QVO DECET CVLTV ET STVDIO INVITAT.

Digitized by Google

Digitized by Google

Rectum hominis de iuſtitia vel iniuſtitia actionum iudicium, nulla re magis, quam praeconceptis opinionibus & affectuum impetu, turbari, tum ſana ratio, tum experientia luculenter docet. Quicunque igitur iuri dicundo operam dat, eum non modo legum interpretandarum ſcientia, ſed etiam animi probitate atque integritate inſtructum ac conſpicuum eſſe oportet. Sed cum mens humana amore vel odio facile in transuerſum rapiatur, ideo diuinis humanisque legibus conſtitutum eſt, ne iudex donis ſe corrumpi & in alterutram partem inclinari patiatur. Quo pertinent grauiſſimae ſcripturarum ſacrarum in iudices, qui munera libenter acceptant, comminationes. *Exod. XXIII, 8. Deut. XVI, 19. XXVII, 25. Eſ. I, 23. V, 23. Iob. XV, 34.* Romani vero veteres ita munerum ſordes deteſtati ſunt, vt lege decemuirali *iudicem arbitrumue iure datum, qui ob rem dicendam accepiſſe pecuniam conuictus erat, capite puniendum ſtatuerint.* Quae tamen poena capitalis, quia acerba & grauis nimis videbatur, poſtea abiit in deſuetudinem v. RITTERSHVSIVS ad *LL. XII. tab. claſſ. 2. cap. 5. p. 49.* Succeſſerunt deinceps edicta praetorum,

rum,

Digitized by Google

rum, quibus cautum fuit de poena iudicis male iudicantis dolo malo, ut nempe litem ſuam faciat, & proinde parti per talem ſententiam laeſae veram litis aeſtimationem praeſtare cogatur. *l. 15. ʃʃ. 1. de iudiciis l. 5. ʃʃ. 4. de Obl. & Act. l. vlt. de extr. cognit.* Sigillatim Cincius Tribunus plebis An. V. C. 549. rogauit legem muneralem, quae etiam Cincia nominatur, ne quis ob cauſam orandam munus caperet, quae teſte *Livio lib. 34. cap. 4.* ideo Romanis perplacuit, quia iam vectigalis & ſtipendiaria plebs eſſe ſenatui coeperat; ſed cum ne ſic quidem corruptiones impediri poſſent, Iulius Caeſar, tum Conſul Romanus, legem Iuliam repetundarum tulit, qua omnes, qui vel in prouincia cum poteſtate imperioue ſunt, uel magiſtratum, curationem, legationem, aliudue officium gerunt, pecuniam ob iudicandum decernendumque, uel quo magis aut minus ex officio ſuo faciant, accipere prohibentur, ut, ſi qui contra eam egerint, illi in crimen repetundarum incidant, & non modo mulcta pecuniaria quadrupli ſed etiam poena extraordinaria, exilii aliaue duriore coerceantur. *t. t. D. & C. ad L. Iul. repetund.* Poſtea Conſtitutiones aliae imperatorum extant, quibus corru-

pto

Digitized by Google

pto iudici uel infamia uel litis aeſtimatio irrogatur. *t. t. C. de poena iud. qui male iud.* & *Nou. 124. C. 2.* Is uero, qui iudicem pecunia corruperat, & diffidentia iuſtae ſententiae, ſpem negotii repoſuerat in corruptelam pecuniae, praeter id, quod dederat, etiam actionem amitebat. *l. 1. C. qui de poen. iudic.* Inſuperque iudicio publico legis Corneliae de falſis tenebatur. *L. 21. ad L. Cornel. de falſis.* Scelerisque conuictus relegationis poenam ſubibat. Iuſtiſſimas haſce ſanctiones dum conſidero, uenit in mentem *l. 6. de offic.* ex Vlpiano deſumtae, cuius auctor cenſet, proconſulem non in totum Xeniis abſtinere debere, ſed modum adiicere, ut neque moroſe in totum abſtineat, neque auare modum Xeniorum excedat. Ibidem laudat Seueri & imperatoris Antonini epiſtolam, qua a nemine accipere inhumanum, ſed paſſim uiliſſimum iudicatur. Non me latet quomodo hanc legem interpretes explicare ſoleant, ne reliquis, quae munera ſimpliciter uetant, refragetur. Nimirum aiunt ſpectare eam ad munuſcula eiusmodi, quae nouis prouinciarum rectoribus, ſub ipſum eorum aduentum, laetitiae teſtificandae cauſa, non a litigantibus ſed ab aliis opulentioribus incolis

Digitized by Google

offerebantur, quae potiſsimum conſiſtebant in eduliis, quae intra paucos dies conſumebantur, quorum etiam ſub finem legis mentio fit. Edulia hoſpitibus & aduenis debebantur, qui nondum inſtructum rebus omnibus domum habebant, quemadmodum ſimiliter *l. 18. de officio praeſidis* Modeſtinus plebiſcito dicit contineri, ut ne quis *praeſidum munus donumue caperet, niſi eſculentum potulentumue, quod intra dies proximos prodigatur.* uid. BRVNNEM. *d. l. 6.* Et GROENVVEGEN *de Legibus abrogatis ad d. t. p. 84. monet;* quod noſtratibus iudicibus Xenia ſumere ideo permiſſum non ſit, quia apud Lares domeſticos officia ſua exercent. Fateor Vlpiani effato talem ſenſum tribui, qui Xenia quodammodo a manifeſta turpitudine posſit liberare; Verum rem ipſam quod attinet, non adeo conſultam circumſpectamque eſſe illam legislationem, eademque mentem legis Iuliae per multum minui & uariis fraudibus occaſionem praeberi plane perſuaſus ſum. Nam etiam munuſcula quandoque conciliant beneuolentiam & animum paulatim ſic flectunt, ut intempeſtiua vel lenitas vel propenſio iuſtitiae impedimento ſit. Nec dubium eſt, eos

Digitized by Google

eos maxime ad munera ferenda pronos & promtos eſſe, qui iudicis fauore quam maxime opus habent, praeterea exigua dona, collecta a pluribus, magna fiunt munera & auaritiae excitandae ſatiandaeque ſeruiunt. Semelque permiſſa munuſculorum licentia, cum nemo ſit, qui modum adiciat, facile iudex torrente affectus abripi ſe patietur, atque ſic fiet, ut idem etiam ampliora munera deinceps acceptare non vereatur. Haec quidem argumenta contemplatio imbecillitatis humanae ſuggerit, ſed vſum, acerrimum quippe iuris cenſorem atque exploratorem, conſulamus. Experiemur verum eſſe quod docet STRYKIVS *Vl. mod. Pand. T. de Offic. praeſid. §. 3.* hos textus multos, qui magiſtratum gerunt, ſancte venerari & opere ipſo cauere, ne ab vſu moderno recedant, & id pridem apud Romanos quoque accidiſſe, teſtis mihi eſt PLINIVS *ep. 14. lib. V.* ad Valerianum, ſcribit enim ſua aetate *veniſſe praeuaricationes, veniſſe aduocationes & gloriae loco poſitos fuiſſe ex ſpoliis ciuium magnos & ſtatos reditus,* addit igitur: *quam me iuuat, quod in cauſis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam Xeniis ſemper abſtinui, oportet quidem, quae ſunt*

in

Digitized by Google

inhoneſta; non quaſi illicita, ſed quaſi pudenda vitare. Atque in integerrimi prudentiſſimique huius viri iudicio libenter acquieſco & procul ambage ad id nunc conuertor, quod officii, quo nunc fungor, ratio a me exigit. Scilicet more maiorum exponenda mihi ſunt nonnulla de vita & ſtudiis nobilisſimi clariſſimique iuris Candidati CHRISTOPHORI SIGIMVNDI GEVDTNERI, ſed cum ipſe vitae ſuae deſcriptionem mihi obtulerit, eam hic inferendam duxi:

Parentibus optimis & honeſtiſſimis, Patrem SIGISMVNDVM GEVDTNERVM, Praefectum tum temporis rei familiaris, & domeſticae in feudo Perilluſtris Comitis a PROESING nobili, PROSSEN, oppidis Schandauio & Regiomanti ad Albim interiecto, ANNAM CHRISTINAM, CASPARI GROSSII, Parochiae Cottenſis prope Pirnam, Paſtoris filiam, nactus matrem, die III. Mai. An. MDCCXI. in lucem gemino partu ſum editus. Haut forte fortuna, ſed divino beneficio factum eſt, vt Parens ſuperiori anno placide extinctus Viro Magnifico atque Excellentiſſimo, omnibus meritis Cumelatiſſimo,

Domi-

Domino PAVLO CHRISTIANO SCHROETERO, Regi Polon. ac Principi Elect. SAXON. in ſummo Prouocationum ſenatu ſummoque ſacro, a Conſiliis, tum innoteſceret, cum is rerum forenſium in dicta Dynaſtia Proſſenſi, curam agebat, Eiusque auctoritate & commendatione in Dynaſtia Waldenſi, prope Haynam, ad ſupra laudatum SCHROETERVM pertinente, res familiares & domeſticas adminiſtrandas ſuſciperet. Diuino inquam, beneficio factum eſt, vt tantum nanciſceremur virum, quem a ſummo numine datum, non ego ſolum auctorem, amplificatorem, & ſtatorem ſalutis & ſtudiorum meorum, ſed omnis etiam paterna familia rerum ſuarum praeſidium, nulla beneficiorum facta intercapedine, experti, ſumma animi ſubmiſſaque reuerentia & religione aetatem ſuſpiciemus, venerabimur, proſequemur. Domeſticae tum ego diſciplinae & priuatae Praeceptorum, Curae cum fratre gemino traditus, iactis ita literarum fundamentis Anno MDCCXXIV. fratrem dictum in Scholam Prouincialem Miſenenſem, a D. Afra nominatam, vix ante ſemeſtre ſpatium profectum ſecutus ſum & cum ſocio hoc ſtudiorum in iis elaboraui, quibus ad doctrinam & morum probita-

)( )(*tem,*

tem, iuuentus formari debet, Praeceptorum autem ex inſtitutione qui tum erant, omnis doctrinae fideique laude Clariſſimorum, MARTII *Rectoris,* SILLIGII *Con-Rectoris,* GRABNERI *Collegae III.* & KAVDERBACHII *Collegae IV. ita profeci ut An. MDCCXXX. inde diſcedens, conſequenti anno, ſocio, dicto fratre gemino, Vitembergam, tanquam ad faecundiſſimam optimarum artium & ſcientiarum ſedem commearem. In hoc igitur almo domicilio eam ſtudiorum inii rationem, vt quae ad Philoſophiam referuntur, aut ad praecepta, iuris naturalis & rem litterariam pertinent, ex Illuſtris Dni* IO. GVIL. DE BERGER, *Magnifici Dni* WEIDLERI, & CRELLII *nec non* HOLLMANNI *doctrina addiſcerem, ſcientiam iuris vero ex praeceptis anteceſſorum inclytae huius academiae, meritorum atque eruditionis fama ſuſpiciendorum, Virorum illuſtrium Magnif. & Excellentiſſimorum, Dni* LEYSERI, BASTINELLERI, MENCKENII, KRAVSII & WERNHERI *haurirem. Quos omnes cum haud ſine mentis, qua decet, reuerentia nomino & aequali honoris cultu proſequor, tum* KRAVSIANO *Magnifico & Excellentiſſimo nomini publice obſtrictiſſimum me profiteor, & quantis ipſi teneor religionis*

pie-

Digitized by Google

pietatis & officiorum vinculis, ſatis quidem ego intelligo, verbis tamen modum & numerum beneficiorum, quibus in domo hac ampliſſima cumulatus ſum, eloqui nequeo, intelligent autem ii etiam, qui meminerint, me fratremque in aedes has benigniſſimas, prouida Excellentiſſimi Dni SCHROETERI *erga clientes ſuos cura & commendatione deductos, ab ſumma hac familia hoſpitio, doctrina & victu humaniſſime exceptos, & tot tantisque beneficiis ornatos eſſe, vt ne plura & maiora a parentibus germanis proficiſci potuiſſent. Tantis praeceptoribus uſus, tantorum fautorum benignitate & munificentia nixus, eos iuuante Dei gratia, diligentiae fructus expertus ſum, vt, An. MDCCXXXIII. Specimina, legibus publicis illis praeſcripta, qui ad cauſas in foro tractandas eniti cupiunt, felici auſu ederem & Praeſide ſupra laudato Dno* KRAVSIO, *Ioachim. Schoepferi in Synopſ. Iur, Priv. Doctrinam de actionibus emti vendit. traditam publice defenderem, examen etiam conſuetum ſubirem notariique munus ab Inclyto hoc Vitembergenſium, ICtorum ordine, comprobatis ipſi ſcientiae & doctrinae profectibus, humaniſſime impetrarem, gratia Potentiſſimi regis vero facultatem munus hoc exercendi obtine-*

)( )(2 *rem*

rem & in numerum Aduocatorum adſcriberer. Vitemberga, tantorum virorum, omni meritorum amplitudine omnisque doctrinae fama inſignium florentiſſima, animum ita ceperat, ut conſtitutum penes me eſſet tam benignam, nunquam mutare, ſedem. At obſtitit diuina voluntas, obſcura primum nocte adhuc celata, nunc demum clarius emicans. Vergente quippe anno MDCCXXXIV. ſummus Mecaenas SCHROETERVS ſupra nominatus, tum temporis apud Ciuitatem Dresdenſem, amplisſimum Senatum, ſuſcepto Syndici munere ornans, ne inter luctus quidem & moerorem, ex optimi filii, morte immatura erepti, perceptos, memoria & cura Clientum dimiſſa, illud auctoritate, qua apud omnes pollet, effeci, vt ſingulari Senatus amplisſimi benignitate munus actuarii, a cauſis grauioribus ipſi delegatis, quas Commisſiones vocant, denominatum, in me conferretur, quod quidem Collegii, Aſſeſſorum dignitate, prudentia & meritis florentiſſimi, illuſtre beneuolentiae monumentum, tanto maiori omni tempore obſeruantia colam, quanto maiorem per integrum fere quinquennium fauorem expertus ſum, ita, vt contenti qualicunque opera mea ſemel beneuole exceptum haud turpiter eiicerent ſed veniam

Digitized by Google

am diſcedendi petentem aegre dimitterent. Occaſionem ita nactus, quam antea laudatis tantis Doctoribus, nulli magis, quam Magnifico KRAVSIO *debeo, qualemcunque ſcientiam iuris ad publicos traducendi, uſus, & modum, quo quaecunque in foro obtigere cauſae poſſunt, ad praeſcriptam Iurium regulam apte tractari queant, ex vſu quotidiano, optimo rerum magiſtro, addiſcendi, plurimum hac etiam in re itidem Excellentiſſimi Dni SCHROETERI autoritati, conſiliis, & meritis publice ſalutaribus, neque minus digniſſimo tanti Viri in Syndicatus munere ſucceſſoris, Dni* CHRISTIANI WEINLIGII *ſingulari humanitati, beneuolentiae & circumſpectae prudentiae me debere gratiſſimo mentis cultu profiteor. Nunc, quod reliquum vitae eſt, Deo duce, viam, quam in familia* WILISCHIANA, *antiqua optumorum Theologorum, & ICtorum laude & exemplis Inclyta, fauore ſingulari, Dn. D.* CHRISTIANI THEOPHILI WILISCHII, *ICti Celeberrimi, Praetoris apud Ciuitatem Haynenſem, prudentia & rerum cognitione, grauiſſimi, quem ſocerum nanciſcor omni animi cultu proſequendum, aperuit, mente gratiae eius confiſa, ſecuturus, ad cauſas in foro agendas animum appuli, cuius rei veniam adepto*

Digitized by Google

honores in vtroque iure ſummos ambire & ab inclyto huius academiae ICtorum ordine petere rationes honeſtae ſuaſerunt. Quod vt felix fauſtum fortunatumque ſit, Deum immortalem imploro.

Hic, cum ſummos in vtroque iure honores capeſſere conſtituiſſet, haud ita pridem apud Ordinem noſtrum nomen ſuum profeſſus eſt, atque primo ad tentamen, & poſtea ad examen rigoroſum admiſſus, talem ſe praeſtitit, vt vnanimi omnium ſuffragio digniſſimus iudicaretur, qui in eum gradum, quem ambit, aſcenderet. Reſtat, vt publicum ſuorum profectuum in vtroque iure argumentum exhibeat, id vero proximo futuro die Veneris, Deo volente, faciet, & Diſſertationem Inauguralem de Iuribus atque effectibus ſimultaneae inueſtiturae in feudis mere hereditariis, Praeſide Excellentiſſimo Conſultiſſimoque Viro DN. IOHANNE GODOFREDO KRAVS, P. P. Dicaſteriorum, quae hic florent, Iudicii item Prouincialis in Marchionatu Luſatiae Inferioris Aſſeſſore, publice ventilandam proponet. Quem actum ſolennem, vt Magnificus Academiae

Pro-

Digitized by Google

Pro-Rector, illuſtriſſimi Comites, Perilluſtres Barones, Academiae Proceres, Generoſi Nobiliſſimique Ciues, praeſentia ſua dignari, eidemque decus & ſplendorem addere velint, ordo noſter, quanta par eſt humanitate rogat, omniaque officia & ſtudia, quae quidem ab eo poterunt proficiſci, viciſſim per me pollicetur. Dab. Vitembergae die 10. Apr. MDCCXXXIX.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

BIBLIO..CA NAZ. ROMA ..TTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google